



Handwritten signature in brown ink, possibly 'J. J. J.' or similar, with a long horizontal stroke extending to the right.

Large handwritten signature in blue ink, appearing to be 'J. J. J.' with a flourish below it.

Small handwritten note in brown ink: 'Beratung 12'.

- 1.
- 2.
- 3.
- 4.
- 5.
- 6.
- 7.
- 8.
- 9.
- 10.
- 11.
- 12.
- 13.
- 14.
- 15.
- 16.
- 17.
- 18.
- 19.
- 20.
- 21.
- 22.
- 23.
- 24.



Index seran hae Volumine contentorū.

1. D. Hamergeri. Observatio Fideles in Systema Marchi.
2. Fasciculus Dissertationū & Lacrymarū, Valeribus, Argenti, Sepultura
& traditione Xpi in Mortem.
3. De Lacrymis. 3.
4. De Valeribus.
5. De Argenti.
6. De Sepultura.
7. De Traditione in Mortem & resurrectione in vitam.
8. D. Jos. Oleary & Sylo N. T.
9. Cusaballi de Ritibus primitivae Ecclesiae Baptismalibus.
10. D. Jos. Guilielmi Payeri & Lege Evangelica.
11. Epidem de Omnia sententia Xpi secundu Canon.
12. D. Jos. Meiseri de Libro Vita et facta in eodem inscriptione.
13. Cusaballi de Penitentia & Fide Demoni.
14. D. Jos. Meiseri de Peccato in spiritu S.
15. D. Jos. Meiseri Tractatus de Peccato in spiritu S.
16. Pauli Antonij. Scripta Scholastica & Concentus Francisci Lambertij.
17. Veltbenij Genina Tentationis Sacerdotis.
18. Doysseri & Horreuda Satuae Obsessionis & ejus Expulsionis.
19. Dentschmanni. de Efficacia Verbi in Actu primo.
20. Jos. Enepsi Gerbadi de salute infantu ante Baptismum
discedentiu.
21. Wiedeburgi de Peccato in spiritu S.
22. Niemannij de Distinctis Pontificationis in gradibus.
23. Oleary de Peccato Philosophico.
24. Antonij de Harmonia Fidei per justificationem, et gratiam
justi fieri dicuntur.

3 E 129
13



25. Untersucht den Galienus' Bericht.
26. Velthemj Demonstratio theologica, Harmonia in Summo
Tertio² discrimine constituta, ita ut nulla placeat fidei
se amplius sentiat et a solamine eugi posse

19.

2. D. B. V. J.
DISPUTATIO THEOLOGICA.
DE
**EFFICACIA VERBI
DIVINI, IN ACTU
PRIMO.**

Quam
In Illustri ad Albim Academia
SUB PRÆSIDIO

Viri Summè Reverendi, Magnifici, Excellentissimi atq; Amplissimi
DN. JOH. DEUTSCHMANNI,
Doctōris consummatissimi, Prof. Primariū
perquàm meritissimi, Collegii Theologici Senioris maxi-
mè venerandi, atq; Templi Academici Præpositi vigilan-
tissimi, nec non Alumnorum Electoralium Ephori gravissimi.
Theologi de universa Christi Ecclesia, summâ meritorum
laude, dudum longèq; Celebrissimi.

*DN. Patroni, Præceptoris, atq; Studiorum suorum Promotoris, piò obse-
quio, observantiâ, omniq; filiali amoris & honoris cultu, Parentis locò,
aviternum devotissimè ac sanctissimè colendi, devenerandi.*

Publico Eruditorum examini subjiciet
A U C T O R
JOSUA HARRSCHIUS. F. S.

In Auditorio Majori,
Die May, Anno M. DC. XCV.

WITTENBERGÆ, Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.



DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

EFFICACIA VERBI

DIVINI IN ACTU

TRINID.

In Huiusmodi Disputatio...

In Huiusmodi Disputatio...

IOHANNES...

IOHANNES...

IOHANNES...

IOHANNES...

IOHANNES...

IOHANNES...

IOHANNES...

IOHANNES...

IOHANNES...

IOHANNES...

IOHANNES...

IOHANNES...



JESU FORTUNANTE.

Prooemium.



Um multa sint liberali animo digna studiorum genera, tamen inter omnia, quæ ab humano ingenio pertractari solent, studium Theologicum augustissimum esse, gravissimum ac difficillimum, nec in eo, ut in cæteris Facultatibus, quandoque sagacioribus, contingit, ad summum perfectionis gradum adspirare licere, *Auctoritas* confirmat, *Ratio* docet, *Experientia* clamat: *Auctoritatem* quod attinet, ea adeò in propatulo est, ut ulteriori probatione neutiqvam egeat. In *Rationes* verò cui inquirere animus, plurimas earum deprehendet, præ cæteris verò eminere videbit: I. *Materia gravitatem*; tractat enim Theologia res non humanæ speculationis, sed Divinæ revelationis; est *una guttula*, ut D. Selneccerus in Cap. 2. Ep. ad Rom. inquit, *Sapientie Dei in verbo revelatae, nedam ejus quæ reservatur nobis revelanda, in vitâ aeterna, superat totum Pelagus & Oceanum universum, Rationis, Sophiae & Philosophiæ humanæ, modis infinitis, omnem collationem & proportionem excedentibus.* Tractat Theologia res non sensu externo metiendas, sed fide interna percipiendas; olim videndas in æternitate, quæ hîc abscondita in mortalitate. II. *Intellectûs nostri cæcitatem*; Lux enim superna per crea-

tionem in nobis accensa, ita per lapsum amissa & extincta est, ut in rebus spiritualibus simus mentis obtenebratae, obscuratum habentes intellectum, *Eph. IV, 18*. Et quoniam lux illa, prima per verbum in nobis reaccendatur, tamen notitia nostra, utcumque suis gaudeat incrementis, languida & imperfecta manet, donec in aeternam Academiam transvehamur, ubi plenè videnda, quae hìc credenda. III. *Mediorum s: requisitorum difficultatem*; oportet enim Theologiae studiosum, si non exactè tamen aliquousque versatum esse in linguis, ut vocant, originalibus, quibus Spir. S. τὰ λόγια τῆς Θεοῦ primùm dictavit, ne videre cogatur oculis alienis, quod intueri deberet propriis; quorum illud titubantiam hoc verò confidentiam gignit. Degustanda est Philosophia cum necessariis partibus, utpotè quae Theologiae ceu Reginae, humiliter & submissè ancillari debet. Ad sunt oportet Spir. S. χαρίσματα; sine quibus frustraneum est, quicquid insumatur à quoquam; ut jam nil dicam; de tempore & otio, nil de labore indefesso, nil etiam de sumptibus, quibus parcendum minimè. IV. *Diaboli calliditatem*; cum enim Spiritum illum πολυμήχανον non lateat, quod Regni sui Satanici subversio & labefactatio, per hoc studium passim efflorescens, quaratur, omnes potentiae & astutiae suae nervos intendit, ut homines ab eo absterreat & retrahat. Hunc dementat mundi & carnis illecebris; illum lassat periculorum terriculamentis; hunc malè ominari jubet de felice successu; illum desperare ob adminiculorum inopiam. Unde haud rarò obinet, ut Theologia multis statim in vestibulo vilescat, & quidam, manū aratro vix admota retrospiciant, aut ita eidem vacent, ut quasi aliud agendo tractent. V. *Hereticorum varietatem & perversitatem*; illi enim ob pertinax contradicendi studium, veritatem caelestem, vel Solis radiis scriptam, conquiritis undique machinis, oppugnant, adeò ut hyperboreus Oceanus haud tot decumanis fluctibus agitatus fuerit, quot sequiorum sententiarum procellis, Ecclesiae navicula subinde

ab

ab hæreticorum agmine, perculsa & conquassata fuit. Tandem *Experientiam*, si attendamus, eam multis exemplis, veritatem assertionis nostræ evincere observamus. Prægranda & innumerabilia propè, non solum in universam Theologiam, sed & in singulos ferme ejus articulos, conscripta volumina, haud obscurum rei testimonium exhibent, quorum, uti Didactica cum materiæ gravitatem, tum intellectus nostri (cujus illustrandi gratia ea conscripta) cæcitatem, ita eorum Polemica Diaboli & calliditatem & hæreticorum perversitatem arguunt. Fidem huic assertioni specialiori exemplo concilians, longius ne abeam, unicum tantum Articulum de S. Scriptura seu verbo Divino, & quidem sepositis Didacticis, Polemica solum ejus ad convincendam Hæreticorum *κακοδοξίαν* cumulata scripta, ad exemplum sisto: Quanta Theologorum nostrorum consensione, contra Adversarios hunc Articulum subvertere ac labefactare conantes, dimicatum fuerit, nemini nisi plano Controversiarum Theologicarum peregrino hospiti ignotum esse potest, quo quidem divinâ adspirante gratiâ factum, ut destructis omnibus & singulis Adversariorum machinis, Articuli ipsius veritas, vel ipsius Solis radiis, tandem elucescere potuerit.

Ast ne unquam desit, quò veritatis cupidi perturbentur, en! Controversia si non planè nova, tamen jamdudum ferme sopita, & (ut Joh. Micrælius in Syntagma Historiarum Ecclesiæ L. 3. p. 531. ait) tenebris *αμνηστίας* sepulta, nostra ætate, de Efficacia S. Scripturæ s. verbi Divini, denudò exorta est, quæ non, forsan Tyrones, verum potius doctissimos nostri sæculi viros defatigat.

Cùm autem ea Controversia haud levis sit momenti, meritò quilibet Theologiæ addictus inquirat, an habeat, quò hæc in causâ, certò niti possit. Cujus gratia præsentem Dissertationem, secundum Orthodoxorum nostrarum Eccle-

fiarum Doctorum, haecenus traditam doctrinam, conscribere atque eruditorum examini placido, subicere volui, non quidem ut alios, sed ut memet ipsum erudiam, sunt enim ut quidam Patrum ait, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, & turpis questus est: & sunt qui scire volunt, ut sciantur ipsi & turpis vanitas est: Sed sunt quoque qui scire volunt ut edificent & Caritas est, & sunt qui scire volunt ut edificentur & prudentia est: Inter ultimos & ego subsisto, quapropter & ipsam hanc dissertationem, non nisi in quantum hanc Controversiam Nostrates hodie cum Novatoribus agitant, conscribere animum induxi. Non quod tenuissimis meis ex viribus rei tam arduae me posse sufficere existimem, sed tantum ut ex mente nostrorum Theologorum, imò quod ingenuè fateor, plurimum ipso eorum ore & verbis differens, aliorum iudiciis limatioribus eandem uberius prosequendi occasionem praebeam. Tu verò Pater caelestis veritatis tuo spiritu huic conamini adfistere nosque in veritate tuâ sanctificare haud dedigneris, cum verbum tuum sit veritas.

CAP.

CAPUT I.
De
Verbo Divino in genere.

§ I.

ANtequam ad scopum palmarium me accingo, præstat pauca quædam, cum circa ipsum verbum Divinum in genere, tum circa S. scripturam seu verbum Dei scriptum in specie supponere; Quoniam enim uti ex progressu patebit, Efficacia verbi Divini, ipsius verbi affectionibus annumerari solet, affectiones verò juxta communem Doctorum sententiam, indolem Entis sequuntur. nullum dubium est, quin verbo penitus intellecto, etiam de Efficaciâ verbi planius & plenius judicari possit.

§. 2.

In limine autem statim observatu dignum venit, quale verbum Dei hîc loci intelligatur, ubi notetur nobis non esse sermonem (1.) de verbo Dei *ἰσπνεῦμα* & Personali, quod est ipse Dei Filius. Aliud enim est verbum principale, aliud verbum instrumentale: Illud est principium salutis nostræ, hoc verò medium.

§. 3.

Neque (2.) de verbo immediato & interno, à Spr. S. fidelibus inspirato, quod ab externo naturâ suâ sit diversum eique contradistinctum, quale verbum in conversione hominis peccatoris, quidam Adversariorum fingunt, & per illud ipsum Spr. S. ejusque potentiam divinam intelligunt, idque semper efficax & Electorum: Hoc verò literam mortuam & per se planè inefficax atque non electorum esse verbum dicunt, sed de falsa hâc distinctione paulò post.

§. 4.

Neque (3.) de verbo *ἐνθουσιαστικῶν* seu Fanatico, per quod Fanatici vel ipsum Dei Filium, vel spiritum S. è coelo venientem & in corde hominis operantem, vel singulares & immediatas de rebus fidei, revelationes & raptus Enthusiasticos, vel etiam divinas & tacitas angelorum inspirationes intelligunt.

§. 5.

Neque (4.) de verbo *ἐμφύτω* seu insito, quod in creatione
pri-

primæva, mentibus hominum inditum ac implantatum, & ante lapsum perfectam quidem, post verò tantum corruptam, & ad salutem æternam consequendam ineptam de Deo, rebusque divinis, ex lumine naturæ resultantem, cognitionem parit.

S. 6.

Neque (5.) de verbo Dei visibili; est enim verbum Dei, per quod Spr. S. ordinariè fidem & salutem nostram operatur, vel *αὐχθόν* & audibile, vel *ὄρατόν* & visibile: Illud prædicatur, hoc administratur; illud scripturis continetur, hoc Sacramentis exhibetur. Illud litera, & vox est, quæ legitur & auditur: hoc sacrum symbolum, quod videtur & accipitur. De audibili propriè hîc loquimur, visibile forsan non nisi illustandi causa, nonnunquam attingemus.

S. 7.

Neque (6.) de verbo *ενδιαθετω* seu mentali, quod est internus Dei conceptus, æternum Dei decretum, interna Dei cogitatio, quatenus in Deo est, & manet, nullique creaturæ communicabilis est: Scripturæ autem verbum non tam est in Deo, quàm à Deo non formaliter internum Dei consilium, sed externum Divinæ voluntatis Symbolum notat: uti loquitur Magnificus Dn. D. Præses in Compendio Hutteri Loc. I. p. 14.

S. 8.

Sed in præsens nobis sermo est, de verbo Dei *ωρολογικῶν*, quod ex ipsius Dei ore prolatum, per Spiritum S. revelatum, olim à Prophetis & Apostolis prædicatum, juxta Dei voluntatem literarum monumentis consignatum, & in Ecclesia Christi huc usq; conservatum est.

S. 9.

De differentia verbi *ενδιαθετω*, & *ωρολογικῶν*, tenendum est (1.) quod illud se habeat ceu Archetypus, hoc verò ceu Ectypus, illud tanquam Exemplar, hoc tanquam exemplatum, illud sit originale, hoc originatum, illud absolute perfectissimum, hoc perfectum secundum quid (nimirum hominibus ad æternam salutem obtinendam) illud Deo competat essentialiter, pertinens ad intra, hoc verò eidem competat accidentaliter, pertinens (ratione revelationis) ad extra.

S. 10.

§. 10.

2. Quod verbum ἐνδιὰθετον, ratione objecti, sit latius, & ratione essentiae longè eminentius verbo θεολογικῶν, seu angustiori, & inferiori gradu. Deus enim multa adhuc habet in suo intellectu, quæ nobis nondum revelavit, cum ea tantum nobis communicarit, quæ ad salutem nostram sunt necessaria. Præterea verbum ἐνδιὰθετον ab ipso Deo non nisi mentaliter differt, & à parte rei est ipse Deus, juxta illud: *Quicquid est in Deo, est ipse Deus*, hoc autem de verbo θεολογικῶν asserere minime licet: Nam & formale scripturæ divinæ est sensus signorum, non δέχεται & ille, & immanens menti divinæ, sed ἐντυπῶν & propositus, delineatus, & representatus, per hæc signa, de rebus divinis intelligibilia. Juxta mentem & verba B. Hulsemanni, in *Præl. Form. Conc. Artic. IIX.*

§. 11.

3. Quod verbum ἐνδιὰθετον, licet longè sit eminentius verbō θεολογικῶν, tamen quod probè observandum, illud huic nequaquam contrariatur, cum ne minima quidem repugnantia inter utrumque intercedat. Quapropter Distinctionem inter verbum absconditum & revelatum, quatenus illud huic oppositum & repugnans esse, nonnulli Adversariorum fingunt, simpliciter improbamus.

§. 12.

Describimus verbum Dei θεολογικόν, quod sit conceptus intellectus Divini revelatus, prout illud vel in mente hominis existit, vel literis est consignatum, vel externè verbis & vocibus prolatum.

§. 13.

Notetur de hæc descriptione (1.) quod nullus detur conceptus in Deo re ipsa, sed tantum secundum nostrum intelligendi modum. Quicquid enim est in Deo, est ipse Deus. (2.) Quod intellectus Divini conceptus, quæ tales, sint verbum Dei, non θεολογικόν sed ἐνδιὰθετον; constituent autem verbum θεολογικόν, non quatenus sunt in Deo, sed quatenus sunt revelati. (3.) Quod, uti in Descriptione nostra Terminus τὸ conceptus intellectus divini, Genus: ita Terminus τὸ revelatus Differentiæ vicem & locum sustineat. Notanter autem dico vicem & locum, verum enim Genus

B

Logi-

Logicum & vera differentia censerī non possunt, quia non sunt Prædicamentalia, sed transcendentalia. Res enim & Myſteria Divina non sunt intra, sed supra prædicamenta.

§. 14.

Cæterum ex Descriptione patet, quod verbum *θεσφοεικον* sive spectetur in animo Petri, sive in Epistola Petri, sive in viva voce Petri, sive in animo & ore concionatoris, sive in auribus corde & memoria auditoris, unum idemque tamen verbum sit, nec nisi modaliter & accidentaliter tantum differat.

§. 15.

Hinc liquet abusum distinctionis esse, quando Adversariorum quidam distinguunt (1.) inter verbum, ut mentibus Prophetarum & Apostolorum inspiratum, aut (ut alii volunt) adhuc hodie in conversione hominis immediate à Spr. S. inspiratur: & verbum ut ab ipsis vel ore prolatum, vel monumentis literarum expressum vel etiam hodie ex eorum scriptis legitur & prædicatur: Illudq; internū hoc verò externum, illud vivum & efficax: hoc mortuum & inefficax vocant. Licet enim demus, dari in verbo aliquid internum, nimirum vel sensum Scripturæ, vel operationem & virtutem internam, & dari aliquid externum, scil. signa & apices literarum vel prædicationem externam: tamen omne id, quod est internū & externum, unum tantum complexum constituit. Ipsa enim Scriptura non nisi unū Dei verbum (puta *θεσφοεικον*) adstruit, nullumque aliud præter semetipsum internum verbum agnoscens, juxta illud: Etsi angelus descenderet & aliud Evangelium annuntiaret, anathema sit. Gal. 1. 8. Quia igitur hæc distinctio 1. verbum cum fructu & effectu verbi confundit. 2. duas illegitimas diversas, separabiles actuq; separatas verbi species adstruit. 3. Enthusiasticas fovet hypotheses, imò 4. ipsis S. Literis directè contrariatur: meritò Nostrates eam rejiciunt.

§. 16.

2.) Inter verbum scriptum & non scriptum, ubi quædam tantum verbi Divini dogmata per scriptionem, quædam verò per oralem traditionem, in Ecclesia propagata esse, & verbum scriptum sine Ecclesiæ traditionibus, ad salutem consequendam, haud sufficiens esse docetur. Quamvis enim hanc distinctionem non planè abomi-

obominemur, si scilicet nomine non-scripti verbi, intelligatur vel ante scripturæ canonem, divina illa revelatio, viva quondam voce à Patriarchis ante exaratos libros Mosaicos propagata, vel post canonem, uberior eorum explicatio, quæ, ceu capita divinæ revelationis principalia, necessaria, essentialia, utilia & sufficientia, ad salutem æternam in literas relata sunt: tamen quatenus per verbum non scriptum, aliud scripto contradistinctum & tanquam complementum ad scripti sufficientiam pertinens verbum intelligitur, Nos hanc distinctionem omninò improbamus & ejusmodi non scriptum verbum neque credimus neque admittimus.

CAPUT II.

De

Verbo Dei scripto, sive Scriptura Sacra & Ecclesiastica.

§. 1.

Verbo Dei Generatim nunc (quantum ad institutum nostrum pertinet) considerato, ultra progredimur & scriptum Dei verbum seu Scripturam Sacram & Ecclesiasticam in specie, priusquam ad ipsam verbi Efficaciam pervenimus brevissimis perpendemus.

§. 2.

Quæstio an S. Script. verè sit Dei verbum, primaria nobis hinc loci consideranda est. Schwenckfeldius unà cum multis nostri seculi Fanaticis ejusdem vestigia prementibus, hoc simpliciter negat, asserens ne quàm vocem nec quàm sensum, Scripturam verbum Dei esse, & Magnificum hunc titulum, soli Christo deberi. Quanquam autem facillè concedamus Christum *verbum* Dei esse, hoc tamen non obstat, quo minùs S. Scriptura sit & appelletur verbum Dei & quidem verè tale. Hinc nos ad prolatam quæstionem affirmativè respondentes, assertionem nostram probamus (1) Quia Deus locutus est per Prophetas & Apostolos. Ebr. 1. 1. qui sermo literis est consignatus (2) Sacræ literæ in ipsa Scriptura dicuntur verbum Dei. Rom. III. 2. ubi Judæis dicuntur concredi-

B 2

ta,

quæ Deus locutus fuit, id est verbum Dei 1. Petr. I. 25. verbum Dei manet in æternum, hoc autem est verbum, quod per Evangelium delatum est ad vos (3.) Quicquid est *Jerem. 23. 501*, illud est verbum Dei: S. Scriptura est. E. Min. probatur 2. Tim. III. 16.

§. 3.

Cum autem Scriptura S. spectetur vel materialiter ratione literarum, Syllabarum, Dictionum & vocum, vel formaliter ratione sensus divini, observetur: Scripturam *materialiter tantum & citra sensum* consideratam, non esse verbum Dei propriè dictum, omninò autem illud esse, quatenus in & sub illis literis, Syllabis, Dictionibus & vocibus, tanquam materiali, sensus divinus comprehendatur: Si forsitan quæris: An scriptura extra usum, vel etiam sub scamnum posita, sensum in se contineat? R. Affir. si enim attento auditori vel lectori, verum de Deo sensum communicare potest, sequitur omnino, quod illum priùs ante auscultationem & lectionem habuerit, juxta vulgatum illud: *Nihil alteri communicat id, quod ipsum prius non habet.*

§. 4.

Ne verò quidam hinc impingat notetur, uti ipsum verbum Dei vel *representative vel habitualiter* spectetur; quod sic & sensum verbi, iisdem modis considerare liceat, adeoque sensum *representative* in materiali scripturæ esse actu secundo, habitualiter autem extra scripturæ usum, non nisi actu primo. Zum Beschluß erinnern wir auch dieses (verba sunt Theologorum Wittenbergensium in censura Caspari Movio Presbytero in Lituania, Hermannum Rathmannum Dantiscanum Ministrum sequentem, transmissa. p. 38.) daß zwar der rechte Verstand in der Heil. Schrift, so fern sie materialiter genommen wird, actu primo quasi latire, und in den Wörtern als in seinen signis begriffen sey, weñ aber derselbe actu secundo solle eruir und gefast werden, so mus das Leben und Bedencken eines Christen darzu kommen.

§. 5.

Huc ulterioris declarationis gratia referimus, Distinctionem inter signum & signatum. Sensus scripturæ vocamus signatum: Literas autem & apices *materialiter tantum* consideratas (sic & voces

ces

ces & sonum verbi prædicati) signum, & quidem doctrinale, quod falvo uno eodemque sensu non solum multiplicari sed & variari potest. Utrumque (signum & signatum) in scriptura etiam extra usum reperitur: nam de signo res clara est, signatum autem, id est sensum scripturæ extra usum, verè & realiter (licet tantum repræsentativè actu secundo; habitualiter autem actu primo) inesse supra §. 3. exinde probavimus, quia materiali scripturæ, hoc est literis, syllabis & dictionibus (non quidem divisim sed junctim sumptis) reverà aliquid inest, quod attento auditori & lectori, verum de Deo sensum communicare potest.

§. 6.

Verum objiciunt nonnulli: Spiritus S. & ejus potentia ex parte rei unum & idem est, potentia inseparabiliter in est verbo quoad sensum spectato, sensus inseparabiliter est in literis materialiter acceptis: Quæ verò si literæ conscinduntur aut comburuntur? Resp. (1.) potentia divina verbo inest non subjectivè, sed communicativè, & per modum planè hyperphysicum & ineffabilem, hinc intereuntibus literis potentiam interire prorsus impossibile est. (2.) sensum quod attinet, dicimus *repræsentationem sensus* non autem *ipsum sensum*, literis pereuntibus, perire, uti e. g. repræsentatio speciei seu simulachri non autem ipsa species, quam objectum visibile de se spargit & diffundit, speculo confracto aut pereunte, perit.

§. 7.

Sed hæc missa facientes properamus ad Scripturam Ecclesiasticam, quò termino intelligimus quodvis scriptum sacrum, sacris literis verè consonum, quocunque etiam nomine veniat. Ubi quæritur. Num Scriptura Ecclesiastica æquè ac Scriptura Sacra verè Dei sit verbum? Hic observamus, quod verbum Dei tale sit, vel quoad sententiam, voces & idioma, simul; vel quoad sententiam & voces, vel quoad sententiam tantum. Nunc Respondemus: Sacram Scripturam in linguis originalibus esse verbum Dei, quoad sententiam, voces & idioma: In versionibus quoad sententiam & voces: *Scripturam autem Ecclesiasticam esse verbum Dei tantum quoad sententiam.*

Notetur porro (1.) quod Scriptura Ecclesiastica sit divinitus inspirata : verum inspiratione non immediatâ, sed mediatâ, mediante scilicet Sacra Scripturâ (2.) quod ea sit infallibilis & certa : verum non infallibilitate & certitudine independenti, sed dependenti : dependet enim Scripturæ Ecclesiasticæ infallibilitas immediatè ab infallibilitate Sacrae Scripturæ, mediatè autem ab infallibilitate ipsius Spiritus sancti. Quibus ex dictis patet : Scripturam Ecclesiasticam Sacrae Scripturæ nequaquam esse æquiparandam, sed potius eidem subjiciendam.

CAP. III.

De

Efficacia verbi divini in genere.

§. I.

HActenus de verbo divino cum in genere, tum de verbo scripto, seu Sacra Script. in specie. Ad eam nunc verbi affectionem, de quo ex instituto differere animum induximus, nunc : ad Efficaciam verbi divini transeamus. Designamus autem, h. l. termino *Efficacia* non actualem operationem, sicut aliàs apud Græcos *Efficacia*, nomine *ἐνεργείας* denotatur. Neque *ἐξουσίαν* seu Licentiam, aut potestatem faciendi; differunt enim potentia aut efficacia, à licentia, seu potestate, quod illa sit facti, hæc vero juris. Multò minus ipsum effectum operationis actualis; sed tantum *δύναμιν ἐνεργητικὴν* seu potentiam effectricem & virtutem operandi.

§. 2.

Cum autem de verbi divini efficacia nobis sit sermo, non intelligimus efficaciam à materia externa, puta à characteribus, literis, syllabis & dictionibus, aut etiam à sono & vocibus externis in aere formatis profluentem; hanc enim efficaciam non nisi putativè & opinabiliter talem esse judicamus. Eo quidem dementes non nunquam progrediuntur, quædam imperitæ ac supersticiosa mulierculæ,

culæ, ut magicam quandam vim ipsis Scripturæ literis, syllabis ac vocibus tribuant, & ad illorum vel pronunciationem, vel gestationem vel suspensionem, vel aliam aliquam usurpationem, quosdam humanis viribus majores effectus produci, v. g. morbos, demones, spectra aliaque mala fugari vel depelli posse existiment. Eamq; ob causam Evangelium præsertim Johannis ex collo suspensum ferunt: Quem idololatricum verbi divini & imprimis Evangelii Johannis abusum, etiam B. Luth. perstringit Tom. II. Isleb. p. 431. fol. 2. Reperiuntur quidem quibus hunc verbi divini abusum & approbare & defendere placet, adducentes dictum Rom. I. 16. Non erubescō Evang. Christi, Potentia enim Dei est ad salutem omni credenti: quam locutionem generalem esse dicunt, non tantum futuræ, sed & præsentis vitæ & quidem ad salutem tam corporalem, quam spiritualem. Verum Resp. Nusquam patere hujus consuetudinis, vel potius superstitionis, divinam institutionem neque promissionem eamque etiam à patribus jamdudum passim refelli à Nostratibus sæpius demonstratum esse.

§. 3.

Neque hinc intelligimus verbi divini efficaciam objectivam, repræsentativam & significativam, quæ illud vi & virtute significandi & objectum repræsentandi tantum pollet, adeoque ratione hujus ipsius virtutis nil aliud præstare valet, quam externè monstrare, quæ sit voluntas Dei, quæ via ad vitam æternam, quæ fides &c. qualem virtutem monstrandi & signandi etiam in statua Mercuriali deprehendimus. Hæc enim virtus omni competit verbo, quæ verbum est, quæ etiam verbo Dei cum omni verbo est communis, quia per omne verbum, sensus seu conceptus animi proponuntur, significantur & repræsentantur, voces enim sunt signa conceptuum; scripta verò signa vocum.

§. 4.

Sed in præsens sermo est de verbi divini efficacia supernaturali productiva, imò proportionata ad producenda *ἄνωγεσματα* spiritualia & divina cum *gratiosa* & salvifica; uti sunt Conversionis, Justificationis, Regenerationis, Renovationis (adeoq; intellectus illuminationis, voluntatis emendationis, & appetitus ad prava inclinantis cohi.

cohibitionis) ac tandem æternæ salvationis: tum *punitoria* ut Con-
tritionis, Concussionis & Mortificationis.

§. 5.

Dari hujusmodi hyperphysicam verbi divini efficaciam pro-
bamus. 1. Quicquid est potens ad salutem, omni credenti, illud ha-
bet efficaciam divinam, effectus divinos & supernaturales produ-
cendi: Atqui Evang. est potens ad salutem omni credenti. E.
Min. constat ex Rom. 1. 16. ubi Evangelium dicitur potentia Dei,
ad salutem omni credenti. Ubi potentia pro potenti, hoc est
abstractum pro concreto, seu substant. pro adjectivo, insigni-
cum emphasi & energia ponitur. 2. Quicquid est causa fidei, illud
habet efficaciam divinam, effectum divinum & supernaturalem ni-
mirum fidem producendi: Atqui verbum divinum est causa fidei,
E. Maj. patet. ut enim cujusvis causæ necessarium requisitum est
potentia causandi, sic causa fidei necessarium requisitum est poten-
tia fidem causandi seu producendi. Min. clara est ex Joh.
XVII. 20. ubi homines dicuntur credituri *Ἐὰν λόγῳ* h. e. per
verbum, particula enim *Ἐὰν* causalis est, & illud, cui additur cau-
sam esse significat. Plura pete si lubet argumenta ex cap. subse-
quenti §. 4. seqq.

§. 6.

Causæ hujus efficaciz non dantur, est enim hæc verbi: simul
ipsius Dei efficatia, quæ ab ipso Deo non nisi mentaliter differt,
adeoque ex parte rei ipse Deus est, ut autem Deus & causarum &
accidentium expers est, ita idem judicium etiam de hac efficaciz
ferendum.

§. 7.

Describimus hanc verbi divini efficaciam, quod sit, potentia
quædam supernaturalis & divina, ipsi verbo intimè & indissolubili-
ter conjuncta, quæ verè, effectivè, realiter, divinè ac ineffabiliter possit
ad corda hominum influere eaque penetrare ad producenda in iis
ἄνω τελέσματα divina & supernaturalia, tam gratiosa, quàm puni-
toria.

§. 8.

Hanc quod attinet definitivam Descriptionem notetur i.
eam juxta rigorem Logicum non esse intelligendam, cum quia Lo-
gica

gica Definitio tantum est rerum finitarum; At hæc efficacia, ceu i-
plus simul Spiritus Sancti efficacia, est infinita, tam quia Definitio
Logica ex Prædicamentis desumitur, hæc verò Efficacia tanquam
Entis infiniti, transcendit omnia prædicamenta; secundum Logi-
cos enim sola Entia finita, Prædicamentis concludi queunt. (2) Gene-
ris loco hæc in descriptione constituimus, potentiam supernatura-
lem, quò ipsò terminò satis liquet, nos non intelligere istam poten-
tiam, quæ sub prædicamento Qualitatis, secundæ Speciei locum sibi
vendicat, hæc enim naturalis; nostra verò supernaturalis est. Hinc (3) &
ipsa hæc supernaturalis potentia, locum & statum Generis quidem ob-
tinere, nullo autem modo verum Logicum & prædicamentale Genus
fieri potest, prout (4) & ipsa verbi divini efficacia, tanquam Entis
transcendentalis & infiniti, nullius veræ Speciei locum, in lineam qua-
dam prædicamentali reperit.

S. 9.

Cum autem hanc verbi efficaciam, simul ipsius Spr. sancti effi-
ciam, vocemus. Observetur (1) quòd relativè & appropriativè hoc
sit intelligendum, absolute enim totæ S. S. Trinitati hanc efficaciam
attribuimus. (2) quòd verbo & Spiritui sancto, una eademque (non spe-
cie solùm sed & numerò) sit efficacia, una eademque numerò ope-
ratio, ad unum eundemque spirituales effectum, in cordibus ho-
minum producendum. Notanter autem loquor de effectibus spi-
ritualibus in cordibus hominum producendis: Alias enim longè
eminentiorem Spiritus sancti potentiam agnoscimus v. g. Spr. san-
ctus ab effectibus divinis & supernaturalibus, ex operibus creationis
& redemptionis profluentibus minimè excluditur, quæ tamen ver-
bo *verbum* tali modo neutiquam attribui possunt, licet enim
verbum, Spr. Sanctum & supposito & virtute sibi conjunctum ha-
bet; Spiritus tamen per verbum non quosvis sed destinatos ac or-
dinatos tantum effectus edit. v. g. oculus totam animam arctissime
sibi conjunctam habet, interim non quosvis sed videndi tantum a-
ctus, anima per oculum exercet, non audiendi, nec palpandi &c.
(3) Quod in specie circa vim *verbi* tota quidem verbi po-
tentia Spiritui S. non autem vice versà tota Spiritus S. potentia et-
iam verbo attribuere liceat. Spiritus enim modò extraordinariò
etiam

C

etiam

etiam sine verbo, verbum autem nunquam sine Spiritu S. corda
hominum convertere valet.

§. 10.

Licet autem verbi efficacia sit & verbi ipsius, & Spiritus S. quo-
quæ ipsius, ea tamen inæquali modo Deo & verbo tribuitur. Nam
Spiritui S. ea originaliter per essentiam h. e. per independentem
possessionem quatenus eandem non habet communicatam ab alio,
verbo autem dependenter & participativè per *κοινωνίαν* sive com-
municationem, non quidem hypostaticam, qualis inter naturam
divinam & λόγος & carnem assumptam deprehenditur, interim
spiritualem & mysticam ex arctissimâ spirituali & mysticâ unione,
quæ inter verbum divinum & Spiritum S. intercedit, resultantem,
ac proinde Spiritus S. hanc virtutem *ex se & à se*, verbum autem
tantum *in se*, sibi que intimè unitam connexam & inditam habet.
Quemadmodum e. g. oculus non ex se videt, sed in se vim videnti
habet, nim. ab anima ceu *πρωτῶν δεκτικῶν* & causa principali; ita &
verbum Dei non ex se, sed in se habet vim *ερεθιστικῶν* sive corda
hominum convertendi.

§. 11.

Patescit exinde nugas esse, quando Adversarii argumentari co-
nantur (1) Si Spiritus principaliter verbum verò organicè in conver-
sione hominis agit, sequitur quod sit distincta vis & operatio. At-
qui prius est. E. & posterius. Cuilibet enim patet, Consequen-
tiam Maj. nullam esse, non enim sequitur quod distincta sit vis, sed
quod eadem vis utrique distincto modo insit, adeoque non *ipsa vis*
sed tantum *modus vim habendi* distinctus est. (2). Si legi potest ver-
bum ut non sequatur conversio, sequitur, quod verbo & Spiritui S.
distincta sit vis & efficacia: Atqui prius est E. & posterius. Maj. pro-
batur: verbum quando legitur aut auditur in usu est, E. & suam effi-
cacia, actu secundo exerit, & sic conversio necessario semper sub-
sequeretur, nisi quibusdam in actibus secundis, verbum efficacia &
operatione Spiritus S. destitutum esset. Verum Resp. consequen-
tiam Maj. iterum negando. Non enim sequitur quod verbum in
his actibus, efficacia & operatione Spiritus S. destitutum sit, sed id
tantum, quod homo in eo actu malitiosum ponat obicem, quo mi-
nus

nus hæc (& verbi & Spr. S.) operatio effectum suum assequi possit.
(3.) Si Spr. antecedenter verbum verò consequenter operatur, sequitur quòd distincta sit operatio & per consequens distincta efficacia. Atqui prius est E. & posterius. Maj. probatur. Spiritus est causa principalis, verbum verò instrumentalis, omnis autem causa principalis antecedit in operatione causam instrumentalem. Verùm Resp. Licet quidem Spiritus verbum antecedit eoque prius sit naturâ suâ, non tamen propterea naturâ prius agit. Una enim est actio, à Spiritu. tanquam principali & ab ipso verbo tanquam instrumentali aut potius mediâ causâ. Uti e. g. seminans vel manus seminantis ipsam seminationem antevertit aut præcedit, seminans tamen propterea non ante manum sive ante manus operationem vel concursum seminat.

S. 12.

Sed in specie quantum & quo pacto hæc divina vis & potentia verbo divino competat nunc considerantes dicimus: quòd ea verbo divino competat (1.) *quoad sensum* h. e. verbo formaliter considerato. Præsupposito enim verbum materialiter & citra sensum divinum spectatum, verbum Dei (proprie loquendo) ne quidem vocari posse, nemini porro dubium hærebit, quin quoad sensum tantum hæc potentia verbo competat: Quicquid enim non est verbum Dei, illud communicatam effectus spirituales producendi potentiam non habet: Atqui verbum materialiter tantum acceptum non est verbum Dei. E.

S. 13.

Competit (2.) hæc efficacia verbo quoad sensum non solum *habitualmente*, sed & *representative* spectatum, hoc est, verbo non solum quatenus in mente hominis existit, sed & quatenus aut in vocibus externè prolatis aut etiam in scripturâ, comprehenditur. Quicquid enim verum Dei est verbum illud hanc efficaciam habet: Atqui sensus divinus, sive in mente hominis existat, sive externe vel vocibus proferatur aut literis consignatur, verum Dei est verbum. E.

S. 14.

Competit (3.) ea, verbo non tantum quoad *Evangelium* sed

C 2

&

& quoad *legem*. Licet enim lex effectus gratiosos directè & per se non producat, h. e. fidem in Christum accendat & conversionem operetur: hoc enim potius Evangelii est, non tamen propterea litera mortua sed & in suo genere efficax est, dum occidit 2. Cor. III. 6. Iram operatur. Rom. IV. 14. instari ignis urit, cruciat, absumit Deut. XXXIII, 2. Instar mallei petras conterit Jerem. XXXIII. 29. & instar gladii ancipitis cuncta penetrat. Hebr. IV. 12.

§. 15.

Adeoque (4) *toti verbo divino* h. e. omnibus & singulis S. Scripturæ locis ea competit. Utrum verò S. Scripturæ libris dogmaticis (& imprimis emphaticis eorum dictis) major quàm Historicis, efficacia competat? si forsan quæras: Respondemus Disting. inter efficaciam *δποτελέσματα* divina producentem: & Efficaciam sensum divinum repræsentantem, significantem & objectivè exhibentem. Prior iterum consideratur vel ut efficacia sufficiens ad omnia & singula divina *δποτελέσματα* producenda; & hanc toti scripturæ (verùm non distributivè sed collectivè sumptæ) competere dicimus: vel ut efficacia sufficiens ad unum alterumve *δποτελέσμα* tantùm producendum, quam quidem omnibus & singulis S. Scripturæ locis competere asserimus, *ex quibus idem & ad eundem effectum gignendum, sufficiens sensus, colligi potest*, sive hoc fiat mediatè, mediante scil. vel historiæ, vel similis, vel descriptionis paraphrasticæ &c. vel immediate, ex propositione nuda & simplici. Posteriori verò quod attinet efficaciam, ea omninò disparitatem agnoscit, libri enim dogmatici & imprimis emphatica eorum dicta sensum divinum plurimùm immediate & perceptu perspicaciorem: historici verò mediate & ad perceptionem quadantenus obscuriorem præsentant & significant.

§. 16.

Quamvis verò ipsa hæc efficacia planè sit supernaturalis, ea tamen (5) *naturaliter & per essentiam* verbo competit. Hinc dist. inter *naturale esse & naturaliter competere* illud negamus, hoc affirmamus. Ut autem terminus *naturaliter & per essentiam* dextrè capiatur, observetur; quod tantùm in contradistinctione termini *accidentalis* ille sit accipiendus, cùm hoc termino nihil aliud intendamus,

damus,

damus, quàm quod hæc virtus verbo sit 1. interna sive intrinseca
2. perpetua & inseparabilis, 3. necessaria ex necessitate divinæ or-
dinationis 4. ad integritatem & internam verbi divini perfectio-
nem pertinens. Minime verò quod *ex se & independenter* super-
naturalis hæc efficacia verbo competat, sic enim verbum per idolo-
latrîam quasi Deificaretur. Neque quod verbum operetur *Divi-
nòs* sive naturaliter, ut enim efficacia sic & operatio & ipse effectus
non naturalis sed supernaturalis est.

§. 17.

Competit (6) hæc potentia verbo non demum in actu se-
cundo sed & *in actu primo* h. e. non solum in usu sed & extra usum,
adeoque perpetuò intimè & indissolubiliter, hæc enim efficacia ver-
bo in primo ejus institutionis momento, indita connexa & unita,
perpetuò & inseparabiliter cum verbo coëxistit, ita ut ubicunq; sit
verbum (sive illud habitualiter sive repræsentativè spectetur) ibi
etiam unâ cum verbo hæc potentia reperiatur.

CAP. IV.

De

Efficacia verbi in actu primo.

§. 1.

Diximus §. ult. Cap superioris, Efficaciam divinos & superna-
turales in cordibus hominum effectus producendi, verbo
divino competere, non demum in actu secundo sed & in a-
ctu primo, h. e. non solum in usu sed & extra usum, Hunc
competentiæ modum Novatores præ cæteris inficiuntur, asserentes,
verbi divini efficaciam esse externam, quovis momento separabi-
lem, & merè *παρὰ τὴν* h. e. nudè & externè adstantem, Spiritum
S. cum suâ virtute sese conjungere verbo in mente demum,
animo vel corde hominis, & id in usu demum legitur o vel salutari.
Nobis verò constat hanc verbi virtutem esse internam, inseparabi-
lem & perpetuò verbo coëxistentem, Spiritum S. cum suâ virtute
verbo conjunctum esse non solum in mente sed & extra mentem, prout
nim. verbum in sacris literis comprehenditur antequam mens & in-
telle-

C 3

telle-

tellectus hominis accedat, aut ullus lectionis, auscultationis vel considerationis usus superveniat.

S. 2.

Hujus assertionis duplex Theologi Nostrates fundamentum constituunt, quorum alterum remotum alterum proximum dicitur. Remotum est sanctissima DEI constitutio, quâ liberrimâ suâ voluntate verbum voluit esse medium divinorum effectuum, nam ex intentione & beneplacito divino, verbum ad hoc unicè destinatum est, ut vivum & efficax conversionis medium mortalibus existat, placuit enim Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes 1. Cor. I. 21. Eam quippe ob causam verbum suum etiam literis consignari voluit Joh. XX. 31. Hæc scripta sunt ut credatis &c.

S. 3.

Proximum si respiciamus illud arctissima spiritualis & mystica unio, quæ intercedit inter Spiritum S. & verbum divinum asseritur. Vocamus autem hanc unionem arctissimam non solum, quia perpetua Spiritus S. præsentia cum verbo datur, h. e. ut Spiritus tanquam causa suprema principalis & verbum ut causa media non tantum indiviso & indivulso nexu conjuncta sint, sed & quia Spiritus & verbum simul uno eodemque actu, supernaturales effectus operantur. Spiritus enim per verbum *ωσφωρον* tanquam per *ὄχημα* & vehiculum quoddam (quo cum semper & intimè conjunctus est) sese insinuat in corda nostra & per verbum in nobis operatur: ubi autem Spiritus ibi & ejus potentia: Spiritus indissolubiter cum verbo unitus est E. & ejus potentia.

S. 4.

Hanc indissolubilitatem, & extra usum verbo inditam ac unitam divinam potentiam probamus 1. Ex Joh. VI. 63. *verba quæ loquor Spiritus sunt & vita* i. e. spiritu animata, vita autem sunt, partim quia vitam spiritualem in homine operantur, adeoq; causa sunt vitæ spiritualis, partim quia in se sunt viva & singularem vim & facultatem vivificandi habent. Excipiunt hinc adversarii dicentes: Christum non loqui de verbis suis in se, sed ut sunt in legitimo

timo usu, dicit enim *verba qua loquor*. Verum Resp. Christum hâc restrictione uti, ut ostendat se non loqui tantum de verbo *ἐνδιὰ-
θεῶ* sive mentali & interno, sed etiam de *ἔξωθεν* sive externo.

§. 5.

II. Ex Rom. I. 16. *Non erubescō Evangelium Christi, potentia enim est Dei ad salutem omni credenti.* Hæc potentia Evangelio certè non advenit ab extrinseco, sed ipsi semper inest, dicit enim Apostolus quod ipsum Evangelium sit potentia Dei ad salutem, non quod ipsum Evangelium, in casu recto, sit virtus & potentia Dei, quæ ab essentia Dei realiter non differt, (sic enim Evangelium esset ipse Deus) sed quod sit organum potens, ponitur enim hic loci abstractum pro concreto, ita ut Evangelium dicatur potentia h. est. potens & insigniter efficax ad salutem omni credenti.

§. 6.

III. Ex 2. Tim. III. 15. & 16. *Quia ab infanzia sacras literas nôsti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem quæ est in Christo Jesu. Omnis enim scriptura divinè inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum ad corripiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus* Unde duo Argumenta petimus (1) Quidquid potest instruere ad salutem, illud etiam extra usum devoræ lectionis & auscultationis, actu primo, in se habet potentiam instruendi ad salutem. Ratio quia potentia non est actus secundus, sed hunc præcedit. Atqui S. literæ, ratione sensus, possunt instruere ad salutem E. (2) Quidquid utile est ad spiritualem hominis perfectionem, illud utique actu primo in se habet potentiam hominem spiritualiter perficiendi; Ratio est, quia utile propriè & accuratè loquendo non actum tantum secundum & usum, sed principaliter actum primum & potentiam significat. Atqui Script. S. ratione sensus considerata, utilis est ad spiritualem hominis perfectionem. E.

§. 7.

IV. Ex Hebr. VI. 12. *Vivus est sermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem*

nem

nem anima ac spiritus. Hic Apostolus verbo adscribit 1. *vitam* non solum quia verbum vitam spirituales operatur, sed imprimis quia verbum in se est vivum & vim vivificandi habet 2. *Efficaciam* quâ voce notatur, intrinseca vis & facultas, ad effectus spirituales producendos 3. *sectionem, incisionem ac divisionem animæ & spiritus*, adeoque hic verbo divina efficacia & operatio etiam in cordibus incredulorum & impiorum attribuitur. Licet enim in iis non producat effectum gratiosum & à Deo intentum, tamen in iis effectum punitivum producit h. e. secatur, ferit, vulnerat, concutit & mortificat dura & perverbia eorum corda. *Verum obijciunt Adversarii:* Auctorem Epistolæ loqui de verbo Dei in usu, idque probari ex ipso contextu, in quo dicitur verbum Dei pervenire ad divisionem animæ & spiritus, quæ actio verbo Dei non competit nisi in usu legitimo. Sed Resp. 1. quod Apostolus his verbis significet actum secundum sive operationem verbi divini, quæ operatio actum primum sive penetrabilitatem præsupponit 2. Confundunt Adversarii sophisticè verba sequentia cum antecedentibus, de verbis *ζῶν ἡ ἐνεργεία* vivus & efficax præcipue quæstio est, non de subsequentibus quæ illustrationis gratia adducuntur.

S. 8.

V. Ex Jacobi I. 21. *In mansuetudine suscipite verbum insitum quod potest salvare animas vestras.* Quod Apostolus h. l. per verbum insitum non intelligat rationem naturæ hominis implantatam sive naturale rationis & mentis lumen, patet quia loqui ut de tali verbo quod (1) in mansuetudine possunt suscipere fideles: rationem verò suscipere non possunt, cum eam à creationis acceperunt. (2) quod potest salvare animas nostras; sed ratio mortalibus indita salutem afferre nequit. Est igitur verbum insitum h. l. verbum quod per prædicationem ministrorum velut bonum semen cordibus nostris inseritur & quasi implantatur. Huic verbo per prædicationem insito, adscribit Apostolus salutarem illum effectum quod possit salvare h. e. ad æternam salutem producere animas nostras.

S. 9.

VI. Ex comparationibus quæ passim in scriptura reperiuntur.

tur. Comparatur enim verbum cum semine vivo & incorruptibili 2. Pet. I. 23. Ignē penetrante Jerem. XXIII. 29. cum oleo emolliente & vino lactificante Luc. X. 34. Cibo & pane nutriente Deutr. VII. 3. Pluvia & rore humedante, Deutr. XXXII. 2. Es. LV. 10. II. Medicamento sanante Sap. XVI. 12. cum melle recreante Ps. CXIX. 103. Quæ res cunctæ vim & virtutem suam, non tantum in usu sed & extra usum, actu primo, in se continent.

§. 10.

VII. A consecuturo incommodo. Quod si enim verbum Dei perpetuam & divinam virtutem in & secum non habeat, nihil differt à Senecæ aut Epicteti dictis, quando hi de moribus, præmiis & pænis æternis, de quiete conscientia, victoria de vitiis, *αγαθία* & axiomatibus aliis, virtuosi hominis, idem quod verbum Dei docent: hæc enim scripta patheticè proposita etiam sunt efficacia, sed tantum moraliter, habent enim virtutem homines ad hoc vel illud movendi & impellendi moralem, persuasibilem & externam, verbum verò Dei habet vim *σεφιδνάειον* sive corda hominum convertendi realem, effectivam & internam.

§. 11.

Huc denique possent referri, verba A. C. Art. V. p. II. it. p. 429. & p. 581. Verum sufficiant hæc pro vindicatione sententiæ nostræ. Paucis nunc speciosiora Adversariorum argumenta perpendamus. Objiciunt autem I. verba Litanie nostræ: *Deinen Geist und Kraft zum Wort geben*. Verum Resp. quod hic verbi voce, ministerialis verbi dispensatio, sive externum actuale Exercitium h. e. externa verbi prædicatio & auscultatio intelligatur, in specie verò ut spiritus obsectorum, nimirum cordum hominum, non tantum naturalem quam superadditam voluntarem repugnantiam remove dignetur.

§. 12.

II. Nonnullas nostrorum Theologorum duriores (uti videntur) locutiones. v. g. B. J. Brentii in Confess. Würtemb. Cap. de Evang. p. 407. ubi statuit. Evangelium cum literis tantum continetur, vel etiam voce pronuntiatur, sed extra suum legitimum u-
D sum,

sum, per se non esse efficax: quæ verba referunt, & sua faciunt B. Balduinus Comm. in Ep. I. ad Thef. C. 1. p. 1127. & Dannhauerus in Hodof. Chr. Ph. I. p. 64. & 94. Sic & B. Brochmannus in System. Theol. Tom. I. Art. 2. Cap. 4. Quæst 4. p. (m.) 86. inquit: Quamdiu Scriptura S. Soli papyro inscripta manet, non apta est, quæ hominis mentem illustret & voluntatem in melius mutet. Sed Resp. hæc verba intelligenda esse de efficacia in actu secundo spectata, quæ locum non habet extra usum auditûs, lectionis, meditationis &c. ita ut extra usum non sit efficax (sive efficiens) *actu* licet extra eum sit efficax *potentiâ*.

§. 13.

III. Vis & potentia interna & inseparabilis, divinos, in cordibus hominum, effectus producendi, nemini nisi soli Deo competit. E. ea verbo minimè attribui licet. Resp. Hæc potentia soli Deo competit originaliter & independenter, verbo verò (uti supra monuimus) communicativè & dependenter.

§. 14.

IV. Quodcunque efficaciam habet tantùm instrumentalem, illi extra usum, efficacia agentis principalis non est indita: At verbum Dei efficaciam divinam, habet tantùm instrumentalem; E. Resp. Neg. Min. aliud enim est *habere* efficaciam divinam instrumentalem, aliud *agere* instrumentaliter. Verbum divinum habet efficaciam divinam, non instrumentalem, sed eandem cum causa principali, licet non eodem modo, cum ea Spiritui insit originaliter & independenter, verbo verò communicativè, mysticè & vi ordinationis divinæ. Hinc terminus instrumentalis respectu verbi propriè *non habendi, sed agendi modum* innuit, agit autem vi communicatæ divinæ efficaciz, ceu medium organicè, aut potius ut causa media.

§. 15.

V. Comparatur verbum in scriptura cum instrumentis inanimatis, ut eum *Malleo*, Jerem. XXII 29. cum *baculo sive virga pastoritia*, Psal. XXIII. 4. cum *sceptro* Pf. XLV. 7. &c. quæ instrumenta non nisi demùm in actu secundo, superveniente & elavante causa prin-

prin-

principali efficaciam effectui suo producendo, proportionatam obtinent, extra usum verò ejusmodi effectui proportionata ac sibi intimè unita efficacia, minimè pollent. Ergò & de verbo divino ita sentiendum, de similibus enim idem est Judicium. Resp. Verbum non solum cum instrumentis inanimatis sed & cum rebus animatis (uti §. 9. demonstravimus) comparatur. Dist. E. inter *modum operandi & actum operationis*. Quando verbum Dei comparatur igni, imbri, semini &c. modus operandi convenienter exprimitur. At si malleo, baculo & scepro comparatur, præcisa speciali ratione operandi, solus efficientiæ actus delineatur.

§. 16.

VI. Instrumentum movere non potest, nisi ipsum motum (causa enim secunda non agit, nisi mota à prima) E. & verbum ceu instrumentum moveri non potest, nisi ipsum motum, & per consequens potentiam movendi priusquam illud à spiritu S. moveatur, in se non habet. Sed Resp. (1) Dist. inter instrumentum *passivum & cooperativum*, vel (quod ferè eodem recedit) inter instrumentum quod cum causa principali conjunctum non est, nisi in usu, v. g. securi, malleus, &c. & instrumentum quod causam principalem etiam extra usum sibi semper conjunctam habet, *suppositio & virtute*, qualia sunt membra corporis humani v. g. manus, pes, oculus &c. Verbum Dei non ad priorem, sed posteriorem classem instrumentorum referimus, tanquam Instrumentum (*ὀργανον* ita dictum) quod semper etiam extra usum, spiritum S. *suppositio & virtute*, sibi conjunctum habet, adeoque non extrinsecam & supervenientem, sed intrinsecam sive insitam virtutem movendi, etiam extra usum in se continet. (2) Verbum Dei, cum non nisi per analogicam eminentiam instrumentis annumeretur, nulla nos cogit necessitas, axiomata philosophica de instrumentis artificialibus, inanimatis & passivis, *πρώτως* loquentia, huic divinæ nostræ medio, in se vivo & semper animato, tam rigidè & scrupulosè applicare. Nam verbum Dei si *ἀνεργῶς* loqui velimus non tam instrumentum est quàm medium, *ὀργανον* & in sensu latiori igitur accipiendum est, quando Nostrates hæc appellatione utuntur.

D 2

§. 17.

VII. Si ad actionem miraculosam in instrumentis (sive stricte sive late ita dictis) requiritur elevatio, sequitur quod ea etiam in verbo requiratur. Atqui prius est E. & posterius. Min. probatur exemplo baculi Moysi, virgæ Aaronis &c. Resp. dist. inter instrumenta *merè naturalia & media supernaturalia*, illa indigent novo motu & elevatione nova, ad effectum novum, ultra propriam suam & naturalem virtutem producendum; hæc verò à primâ institutione & productione sufficienti efficaciâ, prædita sunt, nec indigent nova & peculiari aliquâ elevatione, ultra efficaciam ordinariam, jamdum ipsis inditam ad effectum supernaturalem producendum. Huc refer cætera similia Adversariorum ab instrumentis naturalibus petita v. g. musicalia organa pneumatica, quæ quasi mortua sunt, nisi ventu superveniente eaque inspirante vivificentur: his enim instrumentis naturalibus planè nullum est commercium cum nostro supernaturali medio.

VIII. Uti se habent Sacramenta, ita & verbum Dei se habet (ratio est quia verbum visibile & verbum audibile sunt media ejusdem virtutis utrumque enim ad divinos in cordibus hominum effectus producendos, institutum est) Atqui Sacramenta vim habent in actu secundo, E. & verbum Dei. Resp. Neg. Maj. Est, enim Elenchus parium, comparantur inter se quæ omninò dissimilitudinem habent. Sacramenta enim essentialiter consistunt in actione, Contra verò inauditum est, verbum Dei essentialiter consistere in actu meditationis, lectionis aut prædicationis. Ac tantùm quoque de adversariorum argumentis speciosioribus, Deo T. O. M. pro viribus concessis sit laus honor & gratiarum actio, seculis nunquam determinandis.

F I N I S.

Ad
Nobilissimum atque Doctissimum
DN. JOS. HARRSCHIIUM,
Disputationis Authorem.]

Quam graviter Musas coluisti, dulcis Amice!
En! specimen praesens indicium esse potest.
Gratulor ex animo! coeptis Deus annuat opto!
Atq; Velit Studiis addere Summa Tuis!

G. Michael Heber, D.
h. t. Acad. Rector.

Magna Dei Virtus, Virtus quoque maxima
Verbi,

Per Verbum Dominus cuncta patrare solet.
Mundum produxit Verbo, salvatq; fideles
Verbo Virtutis, quod parat omne bonum.
Gratulor ergo Tibi, quod Virtus haec Tibi curæ,
Hac sine nulla salus, hac duce cuncta salus!
Ex bonitate Dei, sis olim Praeco salutis,
Per Verbum, doceas hoc & in Aede sacrâ,
Ex Verbi facias Virtute salutis opimos
Fructus, & veniat sic Tibi certa salus!

PRÆSES,
Johannes Deutschmann/D.
P.P. & Colleg. Theol. Senior.

E

De

DE Verbō dum verba facis non vanā, docemur,
Quid valeant humeri, Josua docte, tui.
Det tibi sancta Trias, paria ut quoq; postea præstes,
Sic homini poteris gratus & esse Deo.

Caspar Löscher / D.
P. P. & Sup. General.

HArrschius aptatā Scripturam lance salutis
Ponderat, & doctas mente recludit opes.
Sic juvat in studiis magno sub Praside sisti,
Et ruere in patrii spemq; decusq; poli.

De efficacia Verbi divini eruditè
disputanti DN. HARRSCHIO
adgratulab. & benè ominab.

Phil. Ludov. Hannekenius, D.
P. P. & Consist. Assessor.

TE plures, HARRSCHI, nostrā de pube secuti
Stent in conflictu pro pietate sacro.

gratul. dedit

Joh. Georg. Neumannus,
D. & P. P.

Quid verbum Domini? nisi *semen, malleus,*
ignis;

HARRSCHIVS illa docet: gratulor ex animo.

G. C. Kirchmajerus,
Orator. P. P. Acad. Senior.

Qua

Quævis divini, quæ rara potentia verbi,
Exponis doctâ, Fautor amande, thesi.
Gratulor hos ausus, quos vis divina secundet,
Ædibus ut sacris commoda mille ferant.

f.
Christianus Röhrensee /
Phil. Pract. P.P. & Elect. Alumn.
Ephorus.

Harrschius ingenio placet, & melioribus annis
Se res divinas sat didicisse probat.
Eusebie chartæ blandis obtutibus instat,
Quâ vim scripturis asserit egregiè.

Theodorus Dassovius,
LL. OO. P.P.

UT flores, fœccunda arbor, queis splendet in
hortis,
Præclaros fructus indigitare solent:
Sic quoque, mi HARRSCHI, dulces tua Musa fa-
crata
Promittit fructus, magnaq; dona parat.

Ita

*Nobilissimo atq; Doctissimo Dn. Harr-
schio de argumento subtili, subtili
sum judicio disputanti applaudebat*

J.C. Wichmanshausen,
Poet. P. P.

E 2

Numi-

NUminis afflatu conscripta oracula laudas,
Dogmata, qua tradunt, sunt sancto Flamine
plena.

Hinc bene perdocto calamo verbisq; tueris,
Hic quod Sermo Dei vivum sit Semen & Ignis.

Georg. Frid. Schroëer,
Log. & Metaph. P. P.

HOc specimen species non est speciosa laboris
Impensi studiis, sed cerebrosa magis.
Quapropter teneor sincero pectoris imo
Jam quoque gratari, *Vota* ferendo, TIBI:
Servet TE SUMMUS, custodiat atque JEHOVA,
Quo semper possis *pace & honore* frui!

Hisce gratulab.

M. Abr. Hen. Deutschmann,
Facult. Philos. Adjunctus.
OPPONENS.

Ad

DOCTISSIMUM DISPUTATIONIS
AUTOREM.

INfandum! infensos hostes Respublica sentit,
Qui mortem nocuis innocuisq; ferunt!
Et prope nil prater cruda arma, arma, arma so-
nantes,

Interitam Patria corpora, opesque petunt.

lesu-

*Insuper ipsa Lupos afflicta Ecclesia sentit,
Hinc servas Greges flumine Evangelii.
Hoc fac: his armis prosterne luposque, gregesque
Assere, quos Christus tradet sub inde tibi.
Sic magnus victor, tutusq; à dente luporum,
Atq; gregi gratus, grata brabea feres.*

f. amica manus

M. Jo. Henrici Feüstkingii,
Colleg. Phil. Assessoris.

Gratulor ex animo Doctrinam, doctior
HARRSCHI
Ut Tibi contingant optima quæq; precor.

*Sic gratulabatur prolixiori affectu
verbis paucissimis*

M. Jo. Christoph. Shlobig,
Schmideb. Sax. S. S. Theol. Stud.
OPPONENS.

Disserens, quod magna Sacris insit Efficacia
Literis, favente summò Numine, ipse com-
probas:

Comprobas sic dona mentis docta, MI HARRSCHI,
publicè,

Comprobas intus latentes Gratiaë scintillulas.

Maecte! Verbum prædicare Tu Dei ne desine;

Sed vocatus Auditori mille confer commoda,

E 3

Qvan.

Quando mox Jehova Dignum sistet hinc Te Ec-
clesiæ

Crede, tunc replebis actu spem Paternis Laribus.

*Pegaseo calamo, amica tamen manu ac mente
apposuit optima quevis apprecans*

Jo. Christianus Weidner/
Anneb. Saxo. OPPONENS.

SD geit it in de Welt / wenn Fliet / Verstand / un
Döget /

Sick hübsch tho hope find / ahn idler Meenungs Dunst.
So wert man upgefrischt / ock bald in siener Jöget /

Dat man na Rohme strev't / um allent wat de Kunst
Sör Lohnung geven kan ; dartho giff GOTT sien Seegen /

So lange et man blift / ahn falsch un Hückel /
Mit godem Böresaat un Noche up sinen Wegen /

In itel Fründlichkeit van aller Falschheit sey.
Dat süe man helle nug / mien Fründ / an su Exempel /

Van Jöget up het he dör Gades Gnaden Warck /
De Dögenden bewähret / lick als een hillig Tempel.

Un fröhnt se GOTT in Hemm ; he let se wassen
starck /

He wieset apenbahr dör siene klocke Spröcke /

De he geschreven heft. GOTT gev' em meldiglick
Een grot Genaden Lohn / he segne siene Köße /

Wet dat he eeten sekall int ewig Hemmelrick.

Mit dit bütschen Plat-düdschken Thügs /
wülle sienem goden Fründe Gades Gna-
de Heyl un Seegen wünschken

M. Jac. Pet. Stephani,
abt Garding in Eyderstede.

Ex

EX animo studiis incumbit Theologiæ
Harrschius & merito Doctorum pulpita scandit.
Doctrinæ specimen magna cum laude daturus
Eximium. Voveo fortunet Spiritus almus!

*Hæc pauca Amico integerrimo gratu-
labundus apponere debuit*

Carolus Eberhartus Cadovius,
Auricâ-Frisius S. S. Theol.
Studiofus

WAs ein unermüdeter Fleiß/ der beständig wird geübet/
Durch des Höchsten Gnaden Hand/einsten zeigt und
von sich giebet/

Dessen hastu/werther Freund/hier ein solche Prob erwiesen/
Daß hierüber männiglich deinen Fleiß wird rühmen müße
sen.

Wer nur aus der Musen Zahl/wird belieben durch zu gehen/
Was du hier geschrieben hast/der wird müssen frey gestehen/
Daß alhier ganz hell und klar/und in Kürze beygelegt/
Dieses was bey dieser Zeit/vielen so viel Müß erreget.
Schau Apollo krönt dich nun/Phobus wil dich iht umbfang
gen/

Pallas selbst preiset dich/sa die Musen mit Verlangen
Ruffen dir/O werther Freund/komm und laß dich bey uns
nieder/

Höre wie zu deiner Ehr/iekt erklingen unsre Lieder.
Doch ich lasse dieses iekt/weil die Sache selbst zugegen/
Und daher ein Überfluß sie mit Worten zu belegen/
Wittenberg hat deinen Fleiß/deine dir verliehne Gaben/
Deinen wohlverdienten Ruhm/Wolckenhoch bereits erha
ben.

Ja

Ja die Tugend selbstn wilt deinen Ruhm allda erheben/
Weilen du zu ihrem Dienst dich ganz eigen hast ergeben.
Und daher muß nunmehr selbst die Wahrheit frey gestehen/
Daß sie von dem Tugend Pfad/ dich niemahl abweichen se-
hen.

Fahre fore / mein werther Freund / solchen Wandel fore zu
föhren/


Sehe deines Eifers Fleiß immerfore in dem Studieren/
Diß hierauff die süsse Frucht deiner Arbeit dich erfreue/
Und der edle Tugend Lohn dir nach Würden angedeye.

Aus schuldigem Obliegen /setzte dem Herrn Authori
als seinem hochwerthesten Freund u. Gönner / zu dessen
Preismüdigst elaborirten
von alhiefig. Weltberühmten Professoribus,
insonderheit aber von gesambter Theo-
logischen Facultät/ belobten
Auch zu dessen immerwährenden Ruhm mit
beygesetzten Carminibus gratulatoriis
beehren

Specimine Academico, dieses wenige

Christian Schmid,
Rhomburg. Sax. SS. Th. St.







153094
AB 153 094

3
ULB Halle
003 251 438


Slc

VD 77





19.

2. D. B. V. 7.

DISPUTATIO THEOLOGICA.

DE

EFFICACIA VERBI
DIVINI, IN ACTU
PRIMO.

Quam

In Illustri ad Albim Academia

SUB PRÆSIDIO

Viri Summè Reuerendi, Magnifici, Excellentissimi atq; Amplissimi

DN. JOH. DEUTSCHMANNI,

Doctōris consummatissimi, Prof. Primariū

perquā meritissimi, Collegii Theologici Senioris maxi-
mè venerandi, atq; Templi Academici Præpositi vigilan-
tissimi, nec non Alumnorum Electoralium Ephori gravissimi.

Theologi de universa Christi Ecclesia, summā meritorum
laude, dudum longèq; Celebrissimi.

*DN. Patroni, Præceptoris, atq; Studiorum suorum Promotoris, piò obse-
quio, observantiâ, omniq; filiali amoris & honoris cultu, Parentis locò,
aviternum devotissime ac sanctissime colendi, devenerandi.*

Publico Eruditorum examini subiciet


A U C T O R

JOSUA HARRSCHIUS. F. S.

In Auditorio Majori,

Die May, Anno M.DC.XCV.

WITTENBERGÆ, Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.



B.I.G.

Farbkarte #13